

Arist. H. A. spectans imbribus fere sit obnoxium.
l. 8. c. 2. *Victus.*
Aelian. H. *l. 1. c. 32.* *Viatus.*
Aelian. H. *l. 1. c. 1.* *Quas complexu crinum frangunt: itaque praeacentibus testis cubilia eorum deprehenduntur, Carabi, Cancri, Paguri, Locustae, quarum carnes quandoque exsugunt, et succum exhauriunt; falsamenta, et pisces. Haec omnia tanta aviditate devorant, ut ne a proprio quidem genere abstineant, et si Aeliano fides est, qui minores retibus inclusi capiuntur, majorum esca sunt. Humanas vero carnes in primis appetunt. Et refert Trebius Niger apud Plinium, ad confiendum hominem, in aqua, nullum hoc atrocius esse animal, luctari complexu atque sorbere, et numeroso suetu detrahere, ac in naufragos urinantes impetum facere. Depascere et arborum fructus, in siccum aestivo tempore egressos, certum. Ex plantis autem olea maxime delectari ejusque truncum flagellis saepissime amplexi, praeter Athenaeum, Oppianus prodidit. Ficis ad mare natis affigi, et fructum mandere, ex Clearcho habemus. An brachia sua tempore penuriae, sub brumam comedant, quae rursum renascantur, dubium quidem est, a maximis tamen authoribus, Alcaeо, Diphilo, Hesiodo, Oppian. *Cyneget. l. 3.* piano, et Aeliano, affirmatur, hinc οὐοβόποδας dici Johanni Grammatico ajunt. At Aristoteles, Plutarchus id falsum censem, et ille, aliquos sua brachia a congris habere, addit. Distinguui Sexu, nullum dubium, et Marem a foemina differre, quod ille capite est productiore, et brachio suo gerit, quod genitalis speciem referat, in quo duo amplissima acetabula habentur. Nervo id quasi constare, porrectum ad medium usque brachium confirmant, totumque nari foeminae annexi. Athenaeus, acutius et solum albicans esse, parte sui extrema bifurcatum, dorsoque annexum tradit. Plinius forte caudam vocat.*

Generatio. De Coitu ipsorum hoc scimus, cum latent, (conduntur autem binis membribus) idque hyeme coire, et ova parere. Os ori, acetabula acetabulis componunt. Cum eo, quod vocant caput, in terram reclinato, unus in-

vitetur, brachiaque pandat, alter, passis item flagellis, adaptat se ita, ut acetabula continentur. Edunt ova et quidem verno tempore, fistula. De *Ovis* ita Aristoteles. Deponunt aut in cavernis aut in testis, aliove cavo loco simile quiddam labruscae cirrulis, et candidae populi fructui. Edita ova dependent ab ambientibus specum parietibus, tanta copia, ut exemta, vas implerint longe majus, quam caput ipsius, in quo ipsa continebantur. His quinquagesimo demum die disruptis, pusilli polypi generantur: et magno agmine serpunt, phalangiorum more. Ac quanquam non omnibus membrorum singulorum natura conspicua est: tota tamen appetit forma. Multi autem propterea quod invalidi sint, pereunt. Adeo vero aliquando exigui reperti sunt, ut nihil haberent discretum; caetera discreti moverentur. Quod ita brevissime Plinius. *Polypi vere pariunt ova tortili simulata pampino, tanta foecunditate, ut multitudinem ovorum cuncti recipiant cavo capitis, quo praegnantes tulere.* Excludunt quinquagesimo die, e quibus multa propter numerum intercidunt. Polypus foemina modo incubat ovis, modo cavernam cancellato brachiorum inglem claudit. Artificiali haec extructa, et circumjecta concharum tenuiorum et scabrarum congeries velut lorica dura erigitur. De Aetate haec apud Aristotelem legimus. *Paucissima genera Polyporum biennium vivunt. Natura enim facile contabescit. Argumento est. Pressus enim, aliquid semper emittit, ac tandem evanescit. Patiuntur hoc foeminae, post partum magis, ac stupidae sunt, neque fluctibus agitatae sentiunt. Facile quoque ab urinantibus manu capiuntur. Muccosae quoque evadunt, neque ad venandum consistere queunt, quod autem bimatum non expleant, inde capiunt argumentum. Nam postquam polypuli orti sunt, tum in aestate, tum sub Autumnum, haud facile invenias polypum grandem. At ante id tempus maximi sunt. Ubi igitur ova ediderint, sic consenescere atque debilitari utrumque affirmant, ut etiam a pisciculis exedantur, per facile quoque abstra-*